

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A.. Level Medieval Latin Examination

4 September 2002

Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. News of the death of Saul

Factum est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a caede Amalec, et maneret in Siceleg duos dies. In die autem tertia apparuit homo veniens de castris Saul veste conscissa, et pulvere conspersus caput: et ut venit ad David, cecidit super faciem suam et adoravit. Dixitque ad eum David: 'Unde venis?' Qui ait ad eum: 'De castris Israel fugi.' Et dixit ad eum David: 'Quod est verbum quod factum est? Indica mihi.' Qui ait: 'Fugit populus ex praelio et multi corruentes e populo mortui sunt: sed et Saul et Ionathas filius eius interierunt. Dixitque David ad adolescentem, qui nuntiabat ei: 'Unde scis quia mortuus est Saul et Ionathas filius eius?' Et ait adolescens, qui nuntiabat ei: 'Casu veni in montem Gelboe, et Saul incumbibat super hastam suam: porro currus et equites appropinquabant ei, et conversus post tergum suum vidensque me vocavit. Cui cum respondissem: "Adsum", dixit mihi "Quisnam es tu?", et aio ad eum "Amalecites ego sum".'

2. **Condemnation of a Moneylender (Bernardino of Siena)**

Cum enim usurarius, sicut ex superioribus patet, non solum offenderit Deum, quemadmodum ceteri peccatores, verum etiam, cum vendiderit tempus quod est commune cunctarum creaturarum, offenderit omnes creaturas, quaecumque creata sunt, audita damnationis sententia prolata a Domino contra eum, quodammodo ad persecutionem contra illum armantur; proinde omnes beati, sancti atque universi angeli paradisi tunc clamant contra eum: 'Ad infernum, ad infernum, ad infernum!' Caeli cum luminaribus suis sua quodammodo voce proclamant: 'Ad ignem, ad ignem, ad ignem!' Planetae etiam clamant: 'Ad profundum, ad profundum, ad profundum!' Elementa quoque saeviunt contra illum et clamant: 'Ad tormenta aeterna, ad tormenta aeterna, ad tormenta aeterna!' Domus quoque in qua iacet infirmus atque parietes et ligna eius contra illum vindictam clamare non cessant, sicut Baruch, 2 cap, ait: *Lapis de pariete clamabit, et lignum, quod inter iuncturas est, respondebit*, scilicet: 'Fiat, fiat!' Ut in his omnibus verificetur id quod Sap. 5, cap. 18, 21 scriptum est.

3. **Gregory of Tours intercedes for some thieves**

His diebus basilica sancti Martini a furibus effracta fuit. Qui ponentes ad fenestram absidae cancellum, quod super tumulum cuiusdam defuncti erat, ascendentes per eum, effracta vitrea, sunt ingressi; auferentesque multum auri argentique vel palleorum sericorum abierunt, non metuentes super sanctum sepulchrum pedem ponere, ubi vix vel os applicare praesumimus. Sed virtus sancti voluit hanc temeritatem etiam cum iudicio manifestare terribili. Nam hi, perpetrato scelere, ad Burdegalensem civitatem venientes, orto scandalo, unus alterum interemit; sicque, patefacto opere, furtum repertum est, ac de hospitale eorum argentum comminutum vel pallea sunt extracta. Quod cum regi Chilperico nuntiatum fuisset, iussit eos alligari vinculis et suo conspectui praesentari. Tunc ego metuens, ne ob illius causam homines morerentur, qui vivens in corpore pro perditorum vita saepius deprecatus est, epistolam regi precationis transmisi, ne, nostris non accusantibus, ad quos persecutio pertinebat, hi interficerentur. Quod ille benigne suscipiens, vitae restituit.

4. The false enticement of alchemy (Petrarch)

Spes. Spero Alchimiae successum.

Ratio. Et quem, quaeso, praeter fumum, cinerem, sudorem, suspiria, verba, dolos, ignominiam? Hi sunt enim Alchimiae successus, quibus inopem nunquam ad divitias evectum, multos a divitiis ad inopiam redactos saepe vidimus. Non tamen illud attenditis: tam blandum est sperare, et falli: huc agit vos avaritiae stimulis impulsa dementia, ut verum opinemini, quod optatis, falsumque, quod cernitis. Notastine aliquos prudentes in reliquis, hac insania laborare? Quosdam opulentissimos hac vanitate consumptos? Dumque opulentiores fieri student, et foedo quaestui inhiant, bene parta prodigere, censuque omni in supervacuis effuso, tandem necessariis etiam destituto, alios, civilitate deposita, moestos semper, atque anxios, dum nec cogitare aliud, quam folles, et forcipes, et carbones, nec aliis quam suae haeresis convivere didicerunt, in sylvestres pene homines evasisse: nonnullos denique, amissis primum animi luminibus, in hoc exercitio corporeos insuper oculos amisisse?